

loco subjecti materiam, quam vocant, secundam habent. Secundò, malè idem ex mutationibus artificialibus materiam primam probat. Artifices ligna, lapides, aurum, argentum, stannum, plumbum & alia materialia corpora, juxta leges suas tractant. Tertio, malè idem ex mutationibus accidentalibus, quando ex frigido calidum fit, ex humido siccum, materiam primam probat. Materiam in quâ habent accidentia, non materiam ex quâ, de quâ jam sermo est. Quarto, malè idem ex generatione substantiali materiam primam probat. Semina hic dantur, quæ materia prima non sunt. Quintò, malè idem ad generationem substantialem refert, cum ex homine fit cadaver. Corruptio dat cadaver, non generatio; privativum ens est cadaver, non positivum, formæ absentiam notat, non productionem & generationem. Sextò malè idem ex cadavere terram generari putat. Antè terra extitit in homine, non de novo generatur. Septimò, malè idem ex nihilo fieri putat corpora, si non detur materia prima. Semina dantur, quæ nec nihil, nec materia prima sunt. Octavò malè idem pro materiâ prima probat materiam benè dispositam. Hæc non pugnat, sed illa materia prima. Nonò, malè idem pro materiâ primâ probat materiam in genere. Hæc ab omnibus concessa, illa à plurimis oppugnata. Decimò, malè idem putat, quodlibet à quolibet fieri posse, si non concedatur materia prima. Hæc istud non impetit, sed disposita. Undecimò, malè idem ad transmutationem elementorum severtit, cui materiam primam subjici sensit. Nunquam transmutantur inter se elementa, nullum ergò huic desperatæ rei auxilium. Quæ falsa singula in Jacchæo taxanda, non approbanda, sicut & illud, unum & commune subjectum dandum esse, quod omnes formas tam substantiales quàm accidentales suscipere aptum natum sit. Monstrum dabit, quale non tulit Asia, si unum afferat subjectum omnium mutationum, quæ circa formas quascunq; obtingunt, receptivum. Sic ergò Materia prima fiet subjectum animæ hominis, canis & quercus, nec uon rugitûs, latratûs, hinnitûs, intellectus, voluntatis, risûs, sermonis, omniumq; qualitatû & occultarû & manifestarum. Præ-

terea.